



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Antidecalogvs Theologico-Politicvs Reformatvs

Dript, Laurentius a

Paderbornae, 1672

Articvlvs IV. An in materiâ morum potius sententiae SS. Patrum, an
Doctorum Neotericorum standum?

urn:nbn:de:hbz:466:1-13441

ARTICVLVS IV.

An in materiâ morum potius sententia SS. Patrum, an Doctorum Neotericorum standum?

I. **Q**uid quid huc usque in materiâ probabilitatis dictum, vel infra dicendum, id fere solâ SS. Patrum autoritate, non ratione, nisi quam involvit auctoritas, stabilium & stabiliendum est: unde merito cui dubium & scrupulus suboriatur, antea sit allatorum testimoniorum autoritas ut illis relicta tantâ multitudine Doctorum Neotericorum nocte dieque similibus materijs & rationibus inquirendis infudantur, acquiescendum sit. Ego quidem unum *Augustinum*, quod salvâ cujuscunque examinatione dictum velim, innumeris Neotericis præferendum censeo: *S. Augustinum* & retractationum libros scripserit, in fide vel moribus postquam ad fidem conversus est, errasse, nemo asseverare audebit, futuræ Ecclesiæ & tanto sancto injurius, si ausus fuerit; Neotericos licet non infide, in moribus

tamen doctrinâ & errasse, & adhuc errare quotidie ostendunt propositiones ab Ecclesiâ censurante felic. recordationis Alexandro Septimo iteratis Bullis condemnatæ.

2. Sed de his sit, quidquid sit, Neotericos veteribus præferendos censet & præfert quidam, qui, *non contemno*, ait, *Veteres, sed Juniores commendo, qui illorum labore fruuntur, & multa possunt, quæ non potuerunt illi, quibus Prædecessores sui nullos libros eruditos & accuratos reliquerunt. Puto omnia esse hodie melius examinata, & hanc ob rem in omnî materiâ & præcipue morali libentius Juniores, quam antiquiores lego & sequor. Cujus vestigiis insistens quidam modernus Scholasticus ait: Posteriores super senes intellexerunt, & pleraque omnia rejicienda esse agnoverunt, quæ anteriores vel non probarant, vel non improbabilia existimarant, primordia sane semper incultiora sunt. Quem insequens alius, neque antiquos, ait, neque antiqua Neotericis anteponi par est, nam Ecclesia indies magis illustratur. Quibus accensendi, tam ille qui dicebat, satis esse dicere, Ecclesiam in suis filijs usque hodie crescere, etiam eruditione:*

quam

quam ille, qui gloriari ausus est, se novum modum & viam in *Mysterijs* etiam supernaturalibus enodandis & explicandis adinvenisse, antiquis Patribus & Ecclesia veteri incongnitum.

3, Nec videntur hi fundamento carere, nam sicut Deus primo in veteri Ecclesia suscitavit SS. Patres & Doctores, sic quoque in modernâ Neotericos & Juniores: Quamvis enim Corpus Christi, hoc est Ecclesia fuerit, ad divinam procuracionem pertinebit, ut ij, qui in Ecclesia Sacrae doctrinae Doctores habentur, tanquam à Deo dati, veritatem in fide teneant, ne populus parvulorum mort circumferatur. Secundo, ut bene notavit *Aegidius Romanus* 2.2 dist. 37. q. 1. a. 3. posteriores existētes super humeros priorum longius vident, quam priores. Nam si nanus esset super humerum Gigantis longius videret, quam *Gregas*. & *S. Bonaventura* in c. dist. 37. a. 1. n. 8. asserit quod per multam discussionem dubia discutuntur ad manifestationem: quia igitur Scholastici magis quam Patres dubia discutunt, etiam magis, quam Patres ad manifestationem ea perducunt. Nec non & *S. Gregorius*

homil.

homil. 16. in Ezech. quanto mundus ait ad extremitatem ducitur, tanto nobis aeterna scientia aditus largius aperitur. Et certe nullus in Ecclesiâ doctrinæ profectus expectandus foret, si posteriores Theologi super veteres non intelligerent.

4. Sed his non obstantibus indubitate tenendum est, novitatem vetustati non esse præferendam, imò nec coæquandam: præsertim in illis, quæ Juris naturalis & præceptorum Decalogi cognitionem concernunt. Vnde qui se Patribus antepone non verentur, ab omnibus explodi, sperniq; merentur. *Est nimis mirabile* aiebat olim *Ecclesia Lugdunensis l. de tenend. verit. schrip. cap. 8.* imò horribile, quomodo ut suis ad inventionibus & ineptijs credatur exigant, cum ipsi Beatissimos Patres, & Illustrissimos Ecclesiæ Doctores abjecerint. Nonne dignum est & æquum, ut qui anteriorum auctoritatem vilipendunt, suam ipsi auctoritatem apud posteros amittant? *Ve, qui pradaris, nonne & ipse pradaberis, & qui spernis, nonne, & ipse sperneris?* Audiant tales *Hormisdam Epist. 22. ad Dorothe. Thessal. ad possessorem Africa-*

num

num dicentem, Errat à viâ, qui ab eo, quod
Patrum Electio monstravit, exorbitat. Audiant
 illud *Gelasij Pape Ep. 7. ad Episcopos; quod*
tendimus ultra definita Majorum, nunquam
sapientiores illis sumus? aut poterimus firmam
stabilitate constare, si ea, quæ ab illis constituta
sunt, subruamus. Audiant, quam idem in Synodo
necampelagianum SS. Patrum obtrectationem
rem invehatur. Majus inquit scelus accrescit
ut sub conspectu, & præsentia sacerdotum
memoria Hieronymum atque Augustinum
Ecclesiasticorum Lumina magistrorum
sca moritura exterminans oleum suavitatis
lacerare contendat. Audiant felicem Gelasium
Prædecessorem, dum Epist. 1. ad Acacium
Constantinopol. ait: Ecclesiam talem à Nobis
die Judicij exigendam, qualem à Patribus accepimus.
 Innumeras alias auctoritates, ut
 pervacaneas prætereo: certe omnes Pontifices & viros religiosos antiquitatem notati prætulisse testis est *Vincentius Livinensis*
lib. cont. prof. heres. novit. cap. 9. morem istum
 in Ecclesiâ semper viguisse, asserens, ut quisque foret religiosior, eò promptius nullo
 vellis ad inventionibus contraheret, un-

postquam verba *Stephani Papæ ad Africanos* scribentis nihil novandum, nisi, quod traditum est, adduxisset, mox subjungit: *Intelligebat enim vir Sanctus, nihil aliud rationem pietatis admittere, nisi, ut omnia, quæ fide à Patribus suscepta forent, eadem fide filijs consignarentur, nosq; religionem, non quæ vellemus, ducere, sed potius, quæ illa duceret, sequi oportere, idque esse proprium Christianæ modestiæ & gravitatis, non sua posteris tradere; sed à Majoribus accepta servare.* Prætereo hic multa concilia idem uno sensu & ore preferentia, & sententia.

§. Faceffant igitur & conticeant, qui *Novellas suas subtilitates tam deprædicatæ antiquitati præponere gestiunt, & ad tot Summorum Pontificum & Conciliorum oracula obmutescant: vestigiis non humeris veterum magistrorum insistant.* Doctorem Angelicum *Urbanus V. in Bullâ ad Tholosates Tholosanæ Universitati, non ob novas ejus ad inventiones, commendavit, sed quod B. Augustini vestigia insequens Ecclesiam Doctrinis & scientijs, quam plurimis illustraverit.* Nani ergo hujus Doctoris exemplo de

pl^o de

plo de Gigantum humeris descendant; m
 dum longius illis prospicere volunt, veri
 ginem incurrant: parumq; illis erit veterum
 humeris insidere, nisi probaverint perspic
 ciori se visu pollere. Novum hoc non est
 novitatem antiquitati præferre; Noverunt
 & ipsum *Massihenses* citati à *S. Prospero*, quæ
 meliorum, quam veterum ingenia suis sac
 lis orta assererant: id ipsum & hodie au
 tur, dum sæculum modernum à quibusdam
 appellatur Doctissimum, literatissimum
 oculatissimum, nasutissimum. De his ait *Cri
 stodorus cap. 11. divinorum lectionum* s
 nonnulli, qui putant esse laudabile, si quid
 tra antiquos sapiant, & aliquid novi, ut per
 videantur, inveniant. At radicem hujus
 perbiæ advertit *Hugo Victorinus, in Didasc
 licis, lib. 3. cap. 14.* ita scribens, *Hoc tum
 vitium hinc quibusdam accidit, quod se
 sententiam nimis diligenter inspiciunt: & cum
 aliquid sibi esse visi fuerint, alios, quos non
 verunt, tales nec esse nec potuisse fieri putant
 hinc etiam ebullit, quod nugigeruli nun
 quidam nescio unde gloriantes priores
 tres simplicitatis arguunt, & secum natam
 cur*

cum morituram sapientiam credunt. Longe aliter sensit Doctor Mellifluus, dum ab his duobus columnis *Augustinum* loquor & *Ambrosium*, credite mihi difficile avellor, cum his me aut errare, aut sapere fateor.

6. Per quæ fusè adducta facilis est ad præ-inducta argumenta resolutio, neque enim, quia allegatus ex Apostolo textus tam Neotericis, quam veteribus congruit, hinc mox æquandi sunt: scimus enim, ait *Melchior Canus*, l. 8. de locis cap. 4. quantum antiquitati deferendum sit, quantum etiam Sanctitati. Quis enim sic insaniat, ut Doctores, sive Priscos, sive Juniores æquiparet Apostolis, Prophetis, Evangelistis? & tamen in textu, sicut hos ita illos provisos divinitus Ecclesiæ legimus. Alia est claritas solis, alia lunæ, alia claritas stellarum, ita alia est authoritas Apostolorum, alia veterum Patrum, alia subsequentium Scholasticorum, unaquæque tamen ab eo, qui ascendens in altum dedit dona hominibus, dona quidem magna, sed inter se disparia. Cæteris proinde paribus Scholasticis præferendi sunt Patres, quia Apostolis & fonti veritatis viciniore, sicut enim

D

enim

enim aqua tanta fluit purior, quanto est
 fonti propinquior: ita Ecclesiastica Doctrina,
 na, tanto est sincerior, & ab erroribus
 immunior, quanto primis præconibus &
 Authori vicinior. Accedit, quod Scholastici,
 præsertim Neoterici & Juniorum philosophica
 plerumque immisceant, quod Theologorum
 Dogmatum certitudinem imminuunt: quando
 enim minus certum certiori miscetur, non
 tam illud excrevit quam istud decrevit: inæqualium
 enim mixtio meliorum deterioratio est, & quod
 ex mixto elicitur, deteriori commensuratur.
 Quia igitur in profanæ philosophiæ saltu
 Scholastici & Neoterici licentius excurrunt,
 quam Patres, ipsorum mentes ad concipiendam
 veritatem, conceptam vè eritandam redduntur
 steriliores.

7. Vbi enim modo tanta sedulitas & diligentia,
 sive Concionatores sive Scholasticos spectes
 in pervolvendis Sanctorum *Augustini, Hieronymi, Ambrosij, Gregorij*
&c. operibus, quam ante hac fuit: nos modo
 currimus ad rivulos, relicta *Præ-*
tibus. Et si quis ratiunculas novorum *Præ-*
bab-

babilistarum intrinsecus perspiciat, plus philosophiæ, quam Theologiæ, plus rationis naturalis, quam supernaturalis inveniet: subsidiarijsque philosophicis maximis, quæ in probationem adducuntur, velut fulcris & basibus fundamentalibus assertionum suarum machinas superstruunt.

8. Ad magis etiam stabiliendam Sanctorum Patrum contra Neotericos authoritatem facit, quod sicut in materialibus structuris tanto lapides sunt mensurâ majores, numero pauciores, & pondere graviore, quanto sunt basi viciniore: sic in spirituali Ecclesiæ structurâ, quia basi vicinissimi fuerunt Apostoli, post illos SS. Patres, & deinde Scholastici, ac proinde primi præ secundis, & secundi præ tertijs sunt dignitatis mensurâ majores, personarum numero pauciores, & authoritatis pondere graviore. Prima Scholasticæ structuræ Basis est Christus, quem sequuntur Apostoli, & hos Patres, de quibus scriptum est, quod sint supraædificati supra fundamentum Apostolorum, & Prophetarum ipso summo angulari lapide Christo Jesu. Quemadmodum verò Apostoli super

Christo, velut ima base positi sequentibus se
 Patribus, ut subalternæ bases subjacuerunt
 ita & hi Patres reliquis se sequentibus Patri-
 bus ac Scholasticis quasi bases extiterunt
 Tanto autem ponderosior est supportato-
 rum autoritas, quanto sunt supportanti re-
 spectu propiores.

9. Quantum ad autoritatem, & verbum
S. Gregorij attinet, dicendum ipsum non
 comparare autoritatem autoritati, sed
 notitiam notitiæ: sed & cum dicit Ecclesiam
 scientiâ proficere, non adscribit hunc profe-
 ctum solis Recentioribus, sed simul etiam
 Patribus, qui etsi mortui docent: sicut
Paulo Augustinus docet, quod per eum Do-
 minus tunc Ecclesias gubernavit, & per eius
 Epistolas nunc gubernat.

10. Sed quibus autoritates & SS. Patres
 illis quoque viluerint, quæ adducta sunt, illi
 inquam, qui asserere audent, se in omnibus
 plus ratione Dialecticæ, quam autoritate
 detulisse: nec se quærere sententias, quæ ho-
 minibus placeant, sed quæ veritati consen-
 tiant, nec curanda esse Authorum placita
 cum lumine rationis duce veritas inquiri-
 tur

tur, & à Nobis præsertim, qui scimus hodie-
 num hesternum die doctiorem esse: & alio lo-
 co, cum sibi à quodam objectum fuisset, su-
 am sententiam esse novam, respondit, *quid*
inde? modo verà sit, olim erat antiqua: Nam
si absit invidia & præjudicium, tota Theolo-
gia moralis modo nova est: quis enim negare
audebit esse hodie in Diana centenas opiniones
probabiles, quæ Augustino, & antiquis Patri-
bis Ecclesiæ incognite; sed videat is Author,
ne in se quadrent, quæ de Abaylaro Epist.
77. asseruit olim Doctor Mellifluus; miror in-
quiens admodum, si novus iste novarum in-
ventor assertionum, & assertor inventionum
invenire in hoc rationem potuerit, quæ Sanctos
Patres latuerit Ambrosium & Augustinum,
sive auctoritatem eorum, auctoritate priorum.
 Et paulò supra, *Non querimus ait pugnas*
verborum, Patrum tantum opponimus senten-
tias, ac verba proferimus, & non nostra, nec
enim sapientiores sumus quam Patres nostri.
 Et Richardus Victorinus Doctori mellifluo
 consentiens in Benjamin major lib. 2. cap.
 2. ait nostris temporibus surrexerunt quidam
 Spseudo-Philosophi fabricatores mendacij, qui

volentes sibi nomen facere, studuerunt nova invenire, nec tam cura eis erat, ut assererent vera, quam ut putarentur invenisse nova. Presumentes itaq; de sensu suo, putaverunt se sibi posse facere sapientia arcam: & euntes in adventionibus suis tradiderunt sententias novas, arbitantes secum ortam, morituramque sapientiam. Sed ecce computruerunt horum omnium arca, eo quod non essent de lignis Sethim lignis, scilicet imputribilibus facta, & ecce stulti facti sunt omnes Principes Thancos, eo quod stultam fecerit Deus sapientiam huius mundi. Sed de his satis. Certe non in Dialectica inquit Ambrosius lib. 1. de fide ad Gratian. cap. 3. complacuit Deo saluum facere populum suum, & animales appellat eos Isidorus Pelusiota, qui rationibus & syllogismis, & disputationibus potius innituntur, & ex his se inventores arbitrantur id. lib. 4. Epist. 127. quod iustum est, atque utile. Quid athenis & Hierosolymis, quid Academia & Ecclesia ait Tertullianus lib. de prescript. cap. 7. nostra institutio porticu Salamonis est, viderint, qui stoicum & Platonicum, & Dialecticum Christianissimum protulerunt. Hieronymus Epist. ad Cresiphonem

tem, ita & Nobis Majores nostri, & illis sui tradidere Majores: Qui hunc & hos non sequuntur, digni sunt reprehensione Hugonis Victorini lib. 3. Miscell. docere Magistros, arguere seniores, imperare majoribus, superbi spiritus est, & de se ipso presumentis.

ARTICVLVS V.

Continens propositiones probabiles contra primum Decalogi Præceptum à Neotericis Probabilistis adinventas.

I. Descendimus jam ad particularia Decalogi Præcepta, in quibus juxta ordinem, quem ipsa requirunt, non tam rationibus humanis, quam Sanctorum Patrum auctoritatibus, iisque involutis rationibus, quæ refutanda videbuntur, refutabuntur, interque ea primum & Dei cognitionem & idolorum abnegationem continet: quod, quoad primam partem evertit Probabilista, dum asserit.

D 4

Propo-